



IX
GHIS.

LAVDATIO FVNEBRIS
HABITA FLORENTIÆ IN TEMPLO S. SPIRITVS

A DOMINICO GHISIO FLORENTINAE THEOLOGORVM VNIVERSITATIS DECANO

IN OBITV A.R.P.F. LEONARDI COQVAEI Ord. Erem. S. Aug. S.T.D.

SERENISS. CHRISTIANÆ LOTHARINGIÆ Magnæ Ducis Hetruriæ à S. Confessione.



Florentiæ Apud Cosmum Iunctam, Superiorum permissu 1616.

LAVDATIO FVNEBRIS
HABITA FLORENTIAE
IN TEMPLO S. SPIRITVS

A DOMINICO GRASSO FLORENTINAE THEOLOGORVM
VNIVERSITATIS DECANO

IN OBITV A.R.P.F. LEONARDI COQVAEI
Ord. Erem. S. Aug. S.T.M.

SERENISS. CHRISTIANAE LOTHARINGIAE
Magnae Ducis Hetruriae à Confessione.



Florentiae, Apud Cosmum Iuntam, Superiorum permissu. 1616.



SERENISS.

CHRISTIANAE LOTHARINGIÆ

MAGNÆ DVCI HETRVRIÆ


Æternam Fœlicicicitatem.



XTEMPORALEM Oratiunculam, quam in laudes Optimi Aurelianensis publicè effudi, iisdem pœnè verbis nunc prælo subiicio; non quòd tanti sit, vt hominum Iudicio audeat sese inferre: Sed quia minima hæc, maiori meo nunquàm interituri animi debito præludit Oratio. Accedit Illustriss. Florentini Antistitis Domini mei siue Imperio, siue voto obsequendi necessitas, cuius ille vt viuens incomparabilis virtutis merito in se totos excitauerat amores: ità hic defuncto vel hoc extare beniuolentiæ Mnemosinen voluit. Neminem porrò vidi, cui magis conue-

niat eſſe ſacram, quàm Auguſtæ Nominis tui Celſitudini, quæ cùm ægregias Coquæi laudes noſti ad amuſsim: tùm, mirabili quadam mixtura, tua ipſius Sapientiam Magnitudine exornas, Magnitudinem Sapientia attollis. Quòd ſi Regia, quà ſoles, liberalitate, ſplendorem operi conciliaueris, ita ille Superorum in Cœtu arridet; ego verò æterni Nominis beneficium conſequor.

LAVDATIO.



VÆ in hac rerum Vniuersitate LEONARDVS COQVAEVS Aurelianensis non quidem leuiter, & ad exiguam memoriam temporis impressa reliquit vestigia pulcherrimæ Virtutis, sunt profectò digna, vt non modo hodiernæ parentationis pompa maximæ Doctissimorum hominum frequentiæ: verùm in immensa, & in omnem partem interminata æternitatis luce grata omnium recordatione, solemni laude recolantur. Cùm enim singularia illa sint, omnesq; absolutę virtutis ordines attingant, habet in his humana mens sæcularium circumacta curarum tempestatibus, cuius exemplo, veluti splendore Syderis, ad Portum prouehatur, donec in sinu Fœlicitatis conquiescat. Illustri dumtaxat opus foret Artifice, qui ea ipsa contemplantium oculis breui quidem tabula, sed quàm emendatissimo opificio constitueret. Nam qua ego ratione potero, aut omnis integerrimæ Leonardi virtutis effigiem suis coloribus illustrare, aut ingenti vestrorum omnium doloris acerbitati, locoq; ad agendum amplissimo satis cum dignitate facere? Vtinam ea mihi suggeretur de tuis laudibus dicendi facultas, qua tu (Pater optime) altero ab hinc anno cùm in diuinarum cognitione rerum Laurea me donares coràm Almæ Florentinæ Vniuersitatis Patribus, satis quidem abundè

undè

andè, copioseq; , vt tua hortabatur humanitas, me laudibus cumulasti. Vtinam illud eloquentiæ flumen, quo tu inter mortales degens ex mië pollebas: pro mea quidem virili parte contenderem, tuas omninò laudes aliorum animis inspiciendas subijcere. Quoniam verò hodiernæ laudationis à nobis tributum efflagitas, dabo ipse si non ingenio, Amore saltem Artifice si non eloquentiæ, lacrimarum vices. Cæterùm quia infirmissimis vtor ingenij viribus, omnesq; Leonardi virtutes cum splendore prosequi neque ingenij, neque temporis angustiæ patiuntur; cœteris omissis vnam ipsius sapientiam cum Pietate coniunctam adumbrabo; adumbrabo inquam; vt intelligatis, me non eius gloriæ, quæ certè maxima est, neque huic confessus Amplitudini quæ summa habetur: sed vel Maiorum Imperio, vel nostri Collegij Institutis consulere voluisse. Vt ergò à Pietate, quę principem sibi locum suo iure quodammodò vendicare potest, exordiar; quò non minus seuerus in se, quàm in cœteros humanus, atque erga Deum liberalis redderetur Leonardus, Aspendii Cytharedi nobilissimi consuetudinem imitari voluit. Intus enim (hoc est sibi) à primis annis canere coepit, ratus discrepantes à ratione cupiditates domestica priùs præparatione temperandas, ne foris postmodùm tumultuaria, & arte nulla concinnata malè obstreperet modulatio. Quamobrem impellentis naturæ illecebras, ac vo-

luptate

luptatem ipsam, quam maximam mali escam, calamitatemq; animi primam aiebat Plato, ità perpetuò intrà vallum rationis compulit, vt studia pietatis, assidui labores, noctis vigiliæ, afflictationes corporis fuerint in eo omnium opinione maiora. Reliqua verò animi ornamenta (externa corporis, fortunæq; bona, quæ in aliis laudari solent, in viro, qui totus ex animo fuit, omitto) reliqua verò inquam animi ornamenta ità complexus est, vt Galliæ quondam adolescens fuerit spectaculo, hodiè sit vniuerso terrarum orbi exemplo. Nihil vnquam fuit illi à teneris vsque annis antiquius, quàm leuiculæ voluptatis incitamenta, & vitiosos ad extremum scopulos quàm diligentissimè declinare, contra voluntates iræ, cupiditates frangere, appetitiones coercere, nihil inani, ineptæq; lætitiæ impartiri, animi elationem premere, sensibus imperare, motiones regere, & ad rationis imperium quamlibet in partem, vt Pietas, vt Religio suadere videbatur illicò circumducere. Nihil illi magis cordi fuit, quàm verba, mores, omnia ad Pietatem pulcherrimè conformare; quàm veluti in specula continuò excubare, ne quis in animum vel minimæ si posset, labeculæ pateret incessus. Quæ quidem in re tantos habuit, Deo faciente, processus, vt natus ille potiùs, quàm humana industria informatus, factus cœlitùs, quàm labore institutus, procreatus veriùs quàm diligenter excultus ad omnem Vitæ sancti-

moniam.

monium vidimus. Hæc verò fœlicitas, quàm citra quidem vitium dicere, meritóq; sibi gratulari poterat, non securitatem Leonardo peperit, quò minus sollicitè diligenterq; sibi caueret in posterùm. Tutum enim se Virtutum præsidio circumseptum sensit, securum noluit: vtq; sanctior esset, cautior esse voluit. Animaduerterat satis quidem esse difficile, & supra quàm credibile cuiquam fieri possit, arduum, in tenera adhuc ætate, in illo Iuuentutis ardore, [illegible] in quo tam multa sunt ad omne vitium diuerticula, in Adolescentiæ tam lubrico, opportunóq; Mortalibus ad prolapsionem loco, corporis animiq; seruare pudicitiam, nisi tutiorem locum quis nactus, ex Religiosis Familiis alicui nomen daret: quamobrem hoc ipso nomine alio se transtulit, & in Nobilissimam D. Augustini Eremitarum Religionem, quam suis accommodatam votis iudicabat, adhuc adolescens ac si planè puer se recepit. O' Familiæ vestræ salutare consilium: O' fœlicitatem vestram Patres ! Viderat enim Leonardus ea mentis acie, quam maturè in eum sensum diuini Numinis voluntas aperuerat, videbat in hac Familia pulcherrimam nescio quam virtutis speciem, quam ipse præ cœteris adamaret; persuaserat sibi hanc omninò fore Terram, in qua omnia, quæ tanto sibi labore, industriaq; continenter adhibita virtutis ornamenta comparauerat, non modò quàm facillimè seruari à se posse, sed quàm maximo cum fœnore amplificari.

cari.

cari. Et sanè ipsa quàm maximè amplificauit; ibi enim sanctissimę decreta disciplinę seruauit ex animo, vt nemo vnquàm illum viderit ab optimæ vitæ Institutis, ne latum quidem vnguem, recedentem, nunquàm ira inflammatum, nunquàm leuitate mollem, nunquàm vel leuissimis animi perturbationibus incitatum. Erat ille domi Deo deditus, Tranquillitatis amans, Veritatis contemplator. Erat foris semper sui compos, ac rector, & quamuis alienus à sordibus, & flagitiorum expers; quasi nihilò minus puderet se sui, quasi vitę per summum dedecus traductæ memor, varia pœnarum genera à suo corpore sæpissimè exposcebat: Erat ità comis, & humanus, vt nihil ab illo magis abhorrens videretur, quàm tristis eorum morum incommoditas, qui Stoicorum, & Cynicorum incultum ingenium, agrestes mores, seueros affatus, contractam frontem, mœsta supercilia imitantes, Virtutis vim omnem, præstantiamq; in tristi, seueroq; vitę cultu ponunt: Is demùm erat, in quo viginti trium annorum spatio, quo Sereniss. Magnę Hetruriæ Duci à Sacris Confessionibus fuit, nihil omninò potuerit vel ab Æmulis, Inuidisq; carpi, meritoq; repræhendi. Si quidem in Regio Sereniss. Heroùm Matris animo omni virtutum genere excolendo per id totum temporis ità se probauit, vt omnibus Sereniss. Mediceæ Domus Principibus sēper fuerit in votis: Illa verò nihil omninò agere, nihil moliri, nihil (vt ità dicam) cogitare

B quod

quod non esset Leonardi Sapientissimis Consiliis conueniens, tota se illius Prudentię, atque Integritati siuè publicis, siuè priuatis in rebus commisisse videretur. Et sanè cui nàm sapientius tutiusq; se, animiq; sui negocium committere Sapientissima Fœmina valuisset, quàm eius Pietati, ac Sapientiæ, per quem ad Regium quemdam Cœlestis vitæ splendorem, ad amplitudinem, & magnificentiam Hæròicæ Sanctitatis, ad Imperium, maiestatemq; nobilissimæ Virtutis satis propensa, ac parata peruenit? Per quem odium vniuersæ prauitatis, in minimè simulata Charitate certum Conscientię gaudium, Christianæ Perfectionis fructum amplissimum, æquabilem, & verè auream pacem consecuta est? Per quem Iustitię tripartitum illud officiū, Moderationem videlicet erga se, Humanitatem in homines, Pietatem in Deum suis omnibus omninò partibus, ac numeris expleuit, & ad exemplum diuinæ legis exegit? Quod prætereà opus tanto viro salutem eius procurante summa laude dignum in actum illa non vocauit, Auditores? In Iudiciorum disceptationibus Iniustitiam exegit; Iustitiam asseruit: In Vrbibus priuatim Honestatem, Innocentiam, Veritatem; publicè Concordiam, Fidem, Tranquillitatem procreauit: fuit Veritatis in sententiis, Sanctitatis in moribus ęgregia, & constans Moderatrix: iacenti Innocentiæ dexteram porrexit: afflictam Inopiam recreauit, suorum mores finxit, refinxit, & ad normam

publicæ

publicæ lineam priuatę fœlicitatis temperauit: Propagauit illa virtutis exempla, monuméta probitatis, incitaméta laudum, ornamenta Matrum, præclaras denniùm actiones æternæ posterorum memoriæ commendauit: Verùm ita commendauit, vt ex his non exigua laus tribuenda videatur Leonardo: Si enim à Serenifs. Chriftiana (cui Deus nihil dedit maius quàm vt poffet, nihil melius quàm vt uellet Religionis cultum ftabilire) Innocentia recreata, fi conciliata Concordia, fi opportunè laxata Liberalitas, fi in templis ftabilita Religio, fi Fides, fi Iuftitia in apertum data, fi in domibus in Triuiis morum Honeftas expofita, feruata, amplificata, tuæ Religionis, tuæ Pietatis eft laus. Tua laus (Leonarde) fi inexhaufto Charitatis Pœnu, auro, argento, patrocinio indigentium faluti confulitur, qui innatæ Religionis, ac pietatis femina in animo Magnæ Chriftianæ ex animo fouifti; & ad vbertima fubindè maximorum fructuum incrementa excoluifti. Neque verò putetis velim, Auditores, hanc Leonardi pietatem in cuti quodammodò (vt dicitur) aut in fpeciem in ipfo fuiffe. Perpetuo enim, & conftanti eodemq; tenore ad extremum vfque vitę fpiritum producta fui dedit, Solis luce clariora, argumenta. Mitto frequentes in Deum fupplicationes, facrificia, vota. Mitto in Auguftifsimam Dei Parentem, cui totus fe fe deuouerat, venerationem. Repetite vobifcum ipfi animo, quod in fuprema eius nocte, nón fine mul-

ta lacrimarum effuſione ſuſpexiſtis Patres. Nàm pridiè quàm ex humanis eriperetur conuocatis ad ſe Patribus, & ſuis tunc moribus, ſua vita, ſua Religione, ac Pietate dignis in memoriam reuocatis Religioſę Perfectionis documentis, tantæ pietatis argumento Cœleſti Viatico ſeſe muniuit, vt adſtantes omnes, tanti Patris iacturam animo deplorantes, ad vberem fletum prouocarit: & poſtmodùm inter Sanctiſsimum nomen IESV ad extremum vſque diſtinctè prolatum, innocentiſsimam Deo animam pacato vultu, tranquilla mentis ſerenitate reddidit. O' finem, quem inter omnes nactus eſt optatiſsimum, ò beatos anteactæ vitæ labores?

Iàm verò, quod ſecundum orationis meæ caput, initiò propoſueram, quid de Leonardi Sapientia dicam? Tàm ſplendidę ingenij Fœlicitatis ille ſe à prima ætate oſtendit, vt fruſtrà in eo requiratur Infantia, quam ætate maturior Sapientia omnem propemodùm intercœpit. Fuit in ipſo litterarum, quàm ætatis curſus celerior. Suſcepto enim D. Auguſtini Eremitarum Ordinis, vti dicebam, Inſtituto, eoq; Religionis indumento, veluti ſigno quodam militiæ ſublato, ſiuè dicas ad ægregios de toto vitæ curſu reportandum Triumphos, ſiuè ad nepharios Catholicæ Veritatis hoſtes audacter in bella laceſſendos, auidus ad mercatum bonarum Artium deſcendit. Aureliam perluſtrat, Luthetiam adit, humana diuinaq; ſtudia colit. Quid moror? Baccalaureus

priuſquam

priusquam Ephæbus pronunciatus, Grammaticam, Rethoricam, Philosophiam, Theologiam denique Parisiis profitetur. Mira quidem ingenij Fœlicitas, qua, ea ille nimirùm ætate, quæ vix primis percipiendis rudimentis satis cuiq; est, tantum in litterarum gloria profecit, vt eam sibi rerum cognitionem comparauerit, quæ vix longissima, & diuturnis excultæ laboribus ætate comparari potuisset. Quid mirum igitur si Doctor à Sorbonæ Theologis creatus totius Franciæ Prouinciæ Definitor mox acclamatur: Si Romæ in Comitijs Generalibus vna omnium Patrum voce Disputationibus præficitur, ijsdemq; inaudita quadam doctrinę excellentia satis superq; facit: Si eadem in Vrbe Studiorum Regens factus id ingenij sui Theatrum aperuit, quale Roma Bonarum Artium Parens, atque Magnorum ingeniorum Altrix nec vidit vnquam, nec tanta quidem admiratione suspexit: Si numero propè dixerim infiniti sapientæ Candidati ex Italia, ex Gallia, ex Germania, ex remotis, sepositisq; Regionibus, non itinerum labores, non Alpium asperitates, non terrę marisq; pericula pertimescentes Romam confolabant, eo tantùm nomine, vt Leonardum docentem, disputantemq; audire aliquandò possent? Quid inquam mirum, si apud Recanatenses anno fundatę Salutis sexcentesimò secundo supra millesimum in Patrum Eremitarum Comitijs, qui eò ad mille sexcentos octoginta tres conuenerant, adeò

eius,

eius, cum vniuersæ Rei Litterariæ moderator esset, Sapientiam admirati sunt omnes, vt illam humano pœnè fastigio celsiorem prædicauerint: Si demùm in Romana Ciuitate siuè scribendo, siuè docendo tantam adeptus est gloriam, vt ab Vniuerso Purpuratorum Patrum Senatu, dicam amplius ab ipso Summi Pontificis, quo nihil in terris Augustius, viuæ (vt aiunt) vocis oraculo totius Ecclesiæ Defensor acerrimus, atque Nouantium Hæreticorum Malleus palàm fuerit appellatus? Quid hoc (pro Deus immortalis) ad gloriæ testimonium magnificentius, quid ad veræ, æternęq; laudis monumentum excogitari potest illustrius? Sed meritò quidem Auditores. Quid enim ego commemorem Centurias Hæreticorum profligatas, quid Iacobum Magnæ Britaniæ Regem, aureo illo, quem examen Præfationis Monitoriæ inscripsit, libro; quid Philippum Mornęum ingentem illam Galliarum pestem duobus libris nuper à Coquęo Typis impressis omninò debellatum? Fremit licet, insaniat, ferruminet, debaccherur Hereticorum Impietas; Vnus vos lacerat, vnus vos cruentat Leonardus, non telis, ac machinis: sed doctrinà, ac sapientia: non vulnerando: sed scribendo, non gladio: sed oratione. O te fœlicem ac beatum Leonardum, quotiès orbem terrarum spectabis è Cœlo, totiès de singulari Sapientia tua cogitabis, totiès Doctrinam tibi tuam gratulaberis, totiès in summo, continentiq; studio pro ipsa arripienda

Sapien-

Sapientia diu, noctuq; adhibitò delectaberis. Quem virum, Deus bone, quàm ingeniosum, quàm perspicacem, quàm ad sapientiam ægregiè factum, qui tamen perindè quasi nullo pollèret ingenio, nullam haberet rerum memoriam (quæ tamen vigebat incredibili, vt quicquid vnquàm quasi audisset, legissetuè in illa quodammodò insculptum jugiter hæreret) quasi omninò hebes, & nullis naturæ præsidijs instructus in assequenda rerum humanarum, diuinarumq; Scientia nullam animo, corporiq; quietem impartiendam putauit, nullam laborum conditionem recusandam. In longum producta fames, quæsitæ ab hominum commercio secessiones, additæ pernoctationes, nocturnæ, diurnæq; diligentiæ, labores ad vitæ satietatem exantlati. In litterarum studio illi vita fuit nescire vitam, voluptas, aliarum rerum voluptates magnanimo sanè contemptu despectare, doctrina semper discere, sapere denique Sapientiam, quam cùm domi semper haberet obsequentem, vbiq; quasi fugientem sequebatur. Magna quidem ista: sed tamen gradus sunt ad reliqua. Argumento sit, quod illi Romę semel accidisse ferunt in Generali Patrum Conuentu. Respondentis personam referebat, atque omnium in se vnum argumenta, animosq; conuertebat, cum de improuiso non leui febris horrore corripitur. Quid faceret vir de litterarum exercitatione totus? decumberet lecto, aut alteri Disputationes daret? alicquin

hoc, nè dicam turpe, Leonardo. Corpori igitur termè viribus destituto pro lecto Cathedra, pro pharmaco fuit Exercitatio, atque ità iactatus febri ad reliquos Comitiorum dies idem munus pari cum laude prosecutus est. O' virum apud Sapientiæ Primores perpetua annorum serie celebrandum, non laborum multitudine, non vitæ discrimine, non infirma corporis temperie à suauissimo litterarum complexu auocatum. Testes vos Galliæ, vos Italiæ Palestræ, quæ huius viri indefessum colendę Sapientiæ studium animaduertere potuistis: Vos, vos, Florentini Ciues, appello, ad quos satis quidem longo temporis interuallo ex eiusdem Bonarum Artium studio bona quàm plurima redundarunt. Habetis vel me tacente præclarissima argumenta, quę quantus illius fuerit litterarum Amor, ac studium per omnes annorum conuersiones enarrabunt. Habetis celeberrimam selectissimorum librorum Bibliothecam hoc eodem in Cœnobio in hunc finem comparatam. Habetis Epistolas à Purpuratis Patribus, à Magnis Principibus pro grauissimarum rerum consultatione, pro Fidei Controuersijs ad eum conscriptas. Habetis libros de Ciuitate Dei disertissimè explicatos, Commentarios in Esdram, Quęstiones de Auxilijs, & alia numero non pauca, quæ in dies parabantur. Illud ego extrema iàm oratione præterire nullo modo possum, quod ad reliquum Sapientissimi Patris Glorię cumulum, quàm maximè

mè

me iacit, ipsum scilicet non Latinę modò Græcæq; linguæ instructissimum: sed cæterarum quoq; Hebraicæ, Syriacæ, Caldaicæ, ità cognitione clarum fuisse, vt inter disputandum argumenta, si vellet, proponere, vel proposita in solutionem tùm Græca, tùm Hebraica lingua vocare, facili posset negocio. Quòd si ea semper fuit apud omnes linguarum Peritiæ admiratio, vt Godefrido Comiti Bolionio Regnum Hierosolymitanum à Latinis Ducibus Victoriæ Consortibus vnì delatum dixerit Æmilius, cùm propter alias, animi, corporisq; Regias dotes: tùm verò maximè, quòd trilinguis veluti triplici patria (Gallus quippè natus, Italus propter magnum Auunculum Stephanum Romanum Pontificem, Germanus quòd sub Augustorum Signis meruisset, cunctorum animos, ac vota in se conuerterat); Dabimus nos Leonardo totiùs veræ laudis Imperium, qui cùm rerum omnium Sapientia: tùm maximè quòd πεντάγλωσσον, quod de Epiphanio Salaminæ Episcopo S. Hieronymus affirmat, hoc est quinque linguis mortalium omnium in se admirationem conciliauit. Cæterùm cùm maximum quiddam de eo homines magis magisq; in dies conciperent; expectationem tamen de se omnium ille longè superaret, repentina morbi violentia corripitur, & non multos post dies viam vniuersæ carnis ingreditur. O fallaces hominum spes, O humanæ caducitatis conditionem. Quòd si omnes ità natura compa-

raci sumus, vt audito cuiusquam Viri boni interitu non possimus non contrahi animo, dolereq; plurimum, quid ni nobis ex animo dolendum in tam acerbo, tamq; inexpectato non dicam vestræ modò Familiæ, Patres Eremitæ, sed Vniuersæ Christianæ Reipublicæ detrimento? Ammisit vestra Religio virum, in quo summa erant omnia; Ammisit Catholica Fides ingens contrà debaccantium Hereticorum impetus propugnaculum, de quo illud planè dici poterat, quod de D. Augustino: *Scribebat Libros; docebat Indoctos.* Ego nihilò tamen minus ità censeo, Auditores, non dolore amplius, aut lacrimarum effusione defunctum virum à nobis prosequendum, sed diuinam potiùs tantarum Virtutum imaginem, non Oratione modò, aut hodierna vestitus fœditate, sed imitatione, atq; opere retinendam. Mortuus est Leonardus; sed ità mortuus est, vt viuat adhuc inter nos ac planè spiret; sed ità mortuus est, vt illi viuere Christus esset, & mori lucrum. Et dubitabitis ad Posteritatis memoriam pertinere, extare tam latè patentis Virtutis exemplar, cuius aliquando contemplatione ad paria facinora magnus, atque excelsus animus incalescat? Malignè sanè fecerit, qui omni laude cumulatum non dixerit Leonardum: qui illum optimè nisse (quod difficillimum iudicatur) Sapientiam cum pietate coniungere, non apertè fateatur. Enim vero fuit vitæ integritate conspicuus: sed splen-

didissimo

didiſſimo quoque fuit Ingenio. Fuit animi Moderatione clarus: ſed humanarum diuinarumq; cognitione rerum illuſtris. Fuit profuſa in omnes Humanitate inſignis: ſed domeſtica Temperatione inſignior. Vno verbo complectar omnia; Fuit carus hominibus: ſed Deo coniunctior; Sanctitatis, Sapientiæq; monumenta reliquit, quæ nulla temporum circumſcriptione, nullis terræ finibus terminanda, eius ingenium, mores, omnia rectè facta poſterorum oculis contemplanda ſubijcient. Quapropter ſuis in cordibus illam quiſq; Leonardi Coquæi ſtatuat memoriam, quam qui naſcentur deinceps propagabunt, omniſq; Æternitas intuebitur.

FINIS.





